

a. 817—821. 10. Praeceptum domni Hludowici de rebus, quas dedit dilecto filio suo Hlothario.

Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam praesentibus quam et futuris, quia nos dilecto filio nostro Hlothario, caesari et consorte imperii nostri, concedimus ad proprium ex quadam villa nostra, quae sita est in pago Alsacense, quae dicitur Herinstein¹, mansum dominicatum cum omnibus suprapositis et alios mansos tantum 60 ad eum pertinentibus, cum mancipiis desuper commanentibus et ad eosdem 60 mansos aspicientibus. Has vero res, sicut superius continetur scriptum, cum domibus, aedificiis, mancipiis, terris, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobile et immobile, tibi, dilecto filio nostro Hlothario imperatori^a, ad proprium per hanc nostre auctoritatis largitionem tradimus ad possidendum; ita videlicet, ut, quidquid de eisdem rebus et mancipiis [facere^b] * vel iudicare volueris, libero in omnibus perfruaris arbitrio faciendi. Et ut hanc^c largitionem donationis nostre per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria.

11. Inmunitas domni Hludowici.

(a) Si enim opportunitatibus ecclesiarum ob divinum amorem, iuxta quod necessitas exposcit, nostris conciliis^a constituimus^a, hoc nobis ad felicitatem aeternae beatitudinis capessendam penitus pertinere confidimus. Igitur non^b solum ad —.

(b) Si^a erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eiusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia potiora largimur, praemium apud Dominum aeternae remunerationis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, praesentibus scilicet et futuris, quia venerabilis vir ille, [episcopus^a] ecclesiae, quae est constructa in honore sanctae Marie semper virginis in loco qui dicitur illo, missa petitione, deprecatus est nos, ut praedictam sedem cum omnibus ad se iuste et legaliter moderno tempore pertinentibus vel aspicientibus sub nostra tuitione et inmunitatis defensione cum rebus et mancipiis constitueremus; quod ita fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratae ecclesiae, quas moderno tempore infra ditionem^b imperii nostri iure possidet, vel quae deinceps in iure ipsius loci voluerit divina pietas augeri, ad causas³⁰ iudiciario more audiendas vel discutiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae contra rationis ordinem¹⁵ distringendos nec ullas *redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quae supra memorata sunt, penitus exigere praesumat; sed liceat memorato episcopo suisque successoribus res praedictae ecclesiae cum omnibus, ³⁵

10 = Carp. 25; Roz. 140; (Sickel, L 120; Reg. Imp. I, 709). a) imp̄ c. b) suppl. Carp. c) lege: haec largitio.

11 a = Schmitz 10 in fine. a) dubito de hac interpretatione. b) pro non solum ad, quod per errorem scriptum esse videtur, expectaveris: notum sit, seu notum esse volumus

b = Carp. 8; Roz. 17; (cf. Sickel, L 178; Reg. Imp. I, 728). a) suppl. Roz. b) dictio ⁴⁰ notarius semper pro ditio scripsit.

1) Nunc civitas Erstein, caput regionis aequivocae Alsaciae inferioris. Bona Lothario ibi a patre hoc donationis praeecepto concessa, ipse postea a. 821. uxori suae Hermengardae dotis titulo tradidit. Cf. Bouquet, VIII, p. 386, nr. 29 (Böhmer, Reg. Karol. nr. 603).
2) Formulam, cum ad verbum fere cum diplomate a. 822, Apr. 2. Paderbrunnensi ecclesiae concessa, (Wilnans, 'Kaiserurk. d. Provinz Westfalen' I, p. 16, nr. 6. Regestorum numeros supra annotavi) conveniat, inde sumptam esse suspicor, praesertim cum etiam nomen S. Mariae, cui ecclesia ista dedicata est, retinuerit. Cf. Sickel, 'Beiträge' III, p. 78.

20B

quae possidet, quieto ordine possidere et nostro fideliter parere imperio. Quidquid vero fiscus exinde sperare poterit, totum nos pro aeterna remuneratione praedictae ecclesie ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus, ut clericis ad supra-dictam^c ecclesiam degentibus melius delectet pro nobis, coniuge proleque nostra et totius⁵ imperii nostri [stabilitate^d] Domini misericordiam assidue exorare.

12.

Cum petitionibus sacerdotum iustis et rationabilibus divini cultus amore favemus et eas cum Dei adiutorio ad effectum perducimus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum, tam praesentium quam et futu-
 10 rorum, industria, quia vir venerabilis ille, illius civitatis episcopus, adiens serenitatem culminis nostri, postulavit nos, ut eum et praedictam sedem, quae est constructa in honore sancti Iohannis baptistae, cum omnibus rebus et mancipiis, quae praesenti tempore iuste et legaliter memorata tenet vel possidet ecclesia, sub nostra defensione et immunitatis
 15 tutione constitueremus. Cuius petitioni pro divini cultus amore et anime nostre remedio adensum praebuimus et hanc auctoritatem immunitatis nostre circa ipsam sedem fieri decrevimus, per quam praecipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in * quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri *^{2. 20.}
 20 iuste et legaliter memorata tenet et possidet ecclesia, vel quae deinceps ibidem divina pietas augeri voluerit, ad causas iudiciario more audiendas vel discutiendas aut freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesie iniuste distringendos nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirandas nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quae supra memorata sunt, penitus exigere praesumat; sed liceat memorato praesuli suisque successoribus res
 25 praedictae ecclesie quieto ordine possidere et nostro fideliter parere imperio atque pro incolumitate nostra, coniugis ac prolis seu pro totius imperii nostri stabilitate una cum clero et populo sibi subiecto Domini misericordiam adtencius exorare. Et ut haec auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa^a manere.

13. Praeceptum^a immunitatis¹.

Cum petitionibus sacerdotum iustis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei ecclesie nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis ille, illius urbis episcopus, dirigens ad nos legationem, misit quandam praeceptionem auctoritatis domni et genitoris nostri Karoli bone memoriae piissimi augusti, in qua continebatur
 35 insertum, quod ipse et avus noster Pipinus rex et antecessores eorum, reges videlicet Francorum, praedictam sedem una cum rebus et hominibus ad eam aspicientibus propter amorem Dei et reverentiam illius sancti, in cuius honore constat esse constructam, sub plenissima semper defensione et immunitatis tutione habuissent. *Pro firmitatis *^{2. 25.}
 40 namque studio petiti celsitudini nostre praefatus episcopus, ut paternum seu antecessorum nostrorum morem sequentes huiuscemodi auctoritatis nostre beneficium eidem concederemus vel confirmaremus ecclesie. Cuius petitioni pro divino amore libenter adquevi-
 mus et hoc nostre auctoritatis praeceptum circa ipsam sedem fieri decrevimus, per quod iubemus atque praecipimus.

11. c) supra *bis scr. c.* d) *supplevi*; incolumitate *edd.*

12 = *Carp. 9*; *Roz. 18.* a) *inconvulso S 1*; *inconvuls S 2.*

13 = *Carp. 10*; *Roz. 22.* a) *rubricae in marg. scriptae vox prior evanuit c.*

1) *Cf. Sickel, 'Beiträge' III, p. 78.*

20B